



**Enchiridion catechismi Martini Lutheri. pro Pueris
instituendis. : Cum Psalmis quibusdam a Philip. Melancht. ex
Hebraeo uersis.**

<https://hdl.handle.net/1874/456565>

4

ENCHIRI

DION CATECHISMI

MARTINI LVTHERI.

pro Pueris instituendis.

Cum Psalmis quibusdam a Philip.

Melancht. ex Hebræo uersis.

ARGENTORATI IN

œdibus VVendelini Rihelij.

M. D. XXXVI.



A B C D E

f g h i k l

m n o p q r s

ff s t v u w x

y z.

A a b c d e f f f g h i k l m n
o p q r s s t v u x y z

A B C D E F G H I K L
M N O P Q R S T V X Y
Z

A a b c d e f f f g h i k l
m n o p q r s s s t u x y
z

Ab eb ib ob ub, Ap ep ip op up,
 Ba be bi bo bu, Pa pe pi po pu,
 Ac ec ic oc uc, Qua Que Qui
 Ca ce ci co cu, quo quu quum,
 Ad ed id od ud, Ar er ir or ur,
 Da de di do du, Ra re ri ro ru,
 Af ef if of uf, As es is os us,
 Fa fe fi fo fu, Sa se si so su,
 Ag eg ig og ug, At et it ot ut,
 Ga ge gi go gu, Ta te ti to tu,
 Ha he hi ho hu, Va ue ui uo uu
 Ia ie ij io iu, Ax ex ix ox ux
 Ka ke ki ko ku, Xa xe xi xo xu,
 Al el il ol ul, Az ez iz oz uz
 La le li lo lu, Za ze zi zo zu
 am em im om um
 ma me mi mo mu
 An en in on un,
 Na ne ni no nu,

Diphthongus.

æ œ au eu.

CONSONANTES

b c d f g h k l m n p q r s t

x z.

Vocales a e i o u.

BIBLIA LAICORVM

7^{ta} car. h. s. m. quinquor

PRIMUM PRAECEPTUM

Non habebis Deos alienos.

SECUNDUM

Non assumes nomen Domini Dei tui in
uanum.

TERTIUM.

Memento ut diem Sabbati sancti fices.

QUARTUM.

Honora Patrem tuum & Matrem tuam.

QVINTUM.

Non occides.

SEXTUM.

Non moechaberis.

SEPTIMUM.

Furtum non facies.

OCTAVUM.

Non loqueris contra proximum tuum
falsum testimonium.

NONVM.

Non concupisces domum proximi tui.

DECIMUM

Non desiderabis vxorem eius, non seruū,
non ancillam non bouem, non asinum,
nec omnia quæ illius sunt.

DE HIS PRAECEPTIS OMNI-

bus sic dicit Deus, Exodi. 20.

Ego

Ego sum Dominus Deus tuus, fortis,
Zelotes, uisitans iniquitatem patrum in
filios, in tertiam & quartam generationē
eorum, qui oderunt me. Et faciens miseri
cordiam in milia, his qui diligunt me, &
custodiunt præcepta mea.

SYMBOLVM APOSTOLICVM.

Credo in Deum Patrem omnipotē
tem Creatorem cœli & terræ. Et in
Iesum Christum filium eius unicum do/
minum nostrum, qui conceptus est de
Spiritu sancto natus ex Maria uirgine,
Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mor
tuus & sepultus est. Descēdit ad inferna,
tertia die resurrexit a mortuis, Ascendit
ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris,
Inde uenturus est iudicare uiuos & mor
tuos. Credo in Spiritum sanctū, Sanctā
Ecclesiā catholicam, sanctorum com
munionem, remissionem peccatorum, car
nis resurrectionem & uitam æternam,
Amen.

ORATIO DOMINICA

Pater noster qui es in caelis, sanctifice/
tur nomen tuum, Adueniat regnum
tuum, Fiat uoluntas tua sicut in caelo et in
terra, Panem nostrum quotidianum da
nobis hodie, Et dimitte nobis debita no/
stra sicut & nos dimittimus debitoribus
nostris, Et ne nos inducas in tentationem,
Sed libera nos a malo, Amen.

DE BAPTISMO

EVntes in mundum uniuersum, praedi/
cate Euangelium omni creaturae,
Qui crediderit & Baptizatus fuerit, sal/
uus erit, Qui uero non crediderit, condem/
nabitur.

DE SACRAMENTO ALTARIS.

Dominus noster Iesus Christus, in
ea nocte, qua traditus est, accepit
panem, & postquam gratias egis/
set, fregit & dedit discipulis suis dicens:
Accipite, comedite, Hoc est corpus me/
um, quod pro uobis datur, hoc facite in
mei commemorationem.

Similiter & postquam coenauit, ac/
cepto calice cum gratias egisset, dedit il/
lis dicens:

lis dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic calix
nouum testamentum est in meo sangui-
ne, qui pro uobis effunditur in remissio-
nem peccatorum, Hoc facite quotiescum-
q̄ biberitis, in mei commemorationem.

Laicorum Bibliæ finis.

SIMPLICISSIMA ET
breuissima Catechismi
expositio.

DECALOGI PRIMVM PRAE-
CEPTVM.

Non habebis Deos alienos.

Hoc est, Debemus præ omnibus timere & amare
Deum, in q̄ solum Deum confidere.

SECVDVM

Non assumes nomen Domini Dei tui in-
uanum.

Hoc est, Debemus Deum timere & amare, nemini
per sacrum eius nomen mala imprecari, non iurare, nõ
magicam exercere, non mentiri, non fallere, sed in o-
mnibus nostris malis inuocare nomen Dei, orare, lau-
dare, gratias agere.

TERTIVM.

Memento ut diem Sabbati sanctifices.

Hoc est, Debemus Deum timere & amare, diuinũ
eius uerbũ non contemnere aut negligere, sed illud po-
tius magnificare & uenerari, libenter tum audire ab
alijs, tum alios docere.

QVARTVM

Honora Patrem tuum & Matrem tuam.

Hoc est, Debemus Deum timere & amare, parentes nostros, item illos qui in nos habent ius & imperiū non contemnere, nec offendere, sed habere illis honorem, seruire eis, obsequi, colere & reuereri eos.

QVINTVM

Non occides.

Hoc est, Debemus timere & amare Deum, nostri proximi corpus nō ledere, nec ulla afficere iniuria, sed iuuare & adesse illi in omnibus uitæ periculis.

SEXTVM

Non mœchaberis.

Hoc est, Debemus timere & amare Deum, castam & modestam agere uitam, nihil immodestum neq; dicere nec facere, suam quisq; uxorē diligere & colere.

SEPTIMVM

Furtum non facies.

Hoc est, Debemus timere & amare Deum, aliorū fortunas non cripere ui, neq; corruptis mercibus aut fraude aliqua ad nos transferre, sed promouere aliorum commoda, eaq; tueri ac defendere.

OCTAVVM

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Hoc est, Debemus timere & amare Deum, non deferre alios falso, non prodere, non obrectare alijs, aliorum

orum famam non denigrare, sed excusare eos, bene de
eis sentire & loqui, omnia in meliorem accipere partē.

NONVM

Non concupisces domum proximi tui.

Hoc est, Debemus timere & amare Deum, nō fraudare aut dolis in proximi hereditatem aut fortunas irrepere, neq; etiamsi quaedam iuris species fauere nobis uideatur, ad nos transferre, sed potius iuuare eum, ut suas fortunas retineat integras.

DECIMVM

Non desiderabis uxorem eius, non seruū non ancillam, non asinum, nec omnia que illius sunt.

Hoc est, Debemus Deum timere & amare, proximi neq; uxorem, neq; seruos, nec iumenta ad nos, arte aliqua, transferre, non uel ui uel dolo aliquo eos a dominis abalienare, sed monere & cohortari potius, ut in seruitio, quod dominis debent, remaneant.

DE HIS PRAECEPTIS OMNIBUS

sic dicit Deus, Exo. 20.

Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, uisitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me. Et faciens misericordiam in milia, his qui diligunt me, & custodiunt praeccepta mea.

Quid hoc est?

Responſio.

Hic grauter comminatur Deus omnibus illis, qui ista præcepta uiolant & excedunt, Debemus igitur eius metuere iram, & seruare hæc præcepta. Contra, promittit quoq; gratiam & omnia bona illis, qui præcepta hæc seruant, Quare amare eum & cõfidere illi nos conuenit, & sequi mandata ipsius.

SYMBOLVM APOSTO- LICVM.

PRIMVS ARTICVLVS DE CREATIONE.

Credo in Deum Patrem omnipotẽ-
tem Creatorem cœli & terræ.

Hoc est, Credo q; Deus me unã cum omnibus alijs creaturis creauerit, q; mihi corpus & animã, hos oculos, aures, & omnia alia membra, quod rationem, & hos sensus donauerit, Neq; id solum, sed credo quoq; q; omnia hæc, aliã peritura, sustentet. Quod uestes, calceos, cibum et potũ, certas sedes, uxorem, liberos, agros, iumenta, & quicquid bonorum est, abunde ad sustentandam hanc uitam indies præbeat. Credo q; me aduersus omnia pericula defendat, quod omnia mala auertat & prohibeat. Facit autem hæc omnia non ex aliã quo meo merito, sed ex mera illa paterna bonitate & misericordia. Quare debeo, ut uicissim illi gratias agã, prædicem

predicem eum, illius uoluntati ubiq; obsequar, eiq; ser-
uam. Hæc omnia ut certissima, ita uerissima sunt.

SECUNDVS ARTICVLVS DE
REDEMPTIONE.

Et in Iesum Christum filiũ eius unicũ do-
minum nostrum, qui conceptus est de
Spiritu sancto, natus ex Maria uirgine,
Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mor-
tuus & sepultus est. Descēdit ad inferna,
tertia die resurrexit a mortuis, Ascendit
ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris,
Inde uenturus est iudicare uiuos & mor-
tuos.

Hoc est, Credo q̄ Iesus Christus sit uerus Deus à pa-
tre ab æterno genitus, credo quoq; q̄ sit uerus homo,
natus ex Maria uirgine, q̄ sit dominus meus, qui me per-
ditum & morti æternæ addictum, redemit, qui à pecca-
to, à morte, & à Satane regno me liberauit, non auro
nec argento, sed sancto ac precioso sanguine suo indi-
gnaq; sua et non merita morte. Fecit autem hæc omnia
ideo, ut ego ceu peculium suum essem, utq; iustus, inno-
cens, & beatus in suo regno perpetuo ei seruirem, uiue-
rem ac regnarem cum ipso, quemadmodum ipse quoq;
& à morte resurrexit, uiuit & regnat in secula. Hæc
omnia ut certissima ita uerissima sunt.

TERTIVS ARTICVLVS DE
SANCTIFICATIONE.

Credo in spiritum sanctum, sanctā
ecclesiam catholicam . sanctorum
communione, remissionem pec-
catorum, carnis resurrectionem & uitam
æternam, Amen.

Hoc est, Credo, quod in Christum credere, aut ad
Christum Dominum meum meis uiribus aut ratione ue-
nire nō possum, sed spiritus sancti illud est opus, qui me
per Euangelium uocauit, suis donis me illuminauit, in
uera fide me sanctificauit & sustentauit. Quemadmo-
dum quoq; omnes alios qui in ecclesia sunt, uocat, con-
gregat, illuminat, sanctificat, & in uera ac unica fide in
Christum, sustentat. Porro in illa ecclesia mihi omnibus
q; alijs credentibus indies plenam remissionem pecca-
torum largitur. In nouissimo autem die me cum omni-
bus alijs ex mortuis excitabit, & in æternam uitam me
ac omnes alios credentes constituet. Hæc omnia ut cer-
tissima ita & uerissima sunt.

ORATIO DOMINICA.

Pater noster qui es in cœlis.

Quid hoc est. Responso.

Deus amanter nos hæc præfati uincula inuitat, ut ue-
re credamus, eum nostrū uerum patrem, nosq; eius ue-
ros filios esse, ut eo confidentius, pleni fiducia, oremus
quemadmodum uidemus liberos certa fiducia aliquid à
parentibus suis rogare.

PETITIO PRIMA.

Sanctis

Sanctificetur nomen tuum.

Nomen Dei per se quidem sacrosanctum est, uerū nos oramus ut apud nos quoq; sanctificetur, id quod tum fit, cū Verbum Dei pure docetur, & nos ut filios Dei cōuenit, uita nostra illud exprimimus. Qd' ut fiat, dona nobis ô pater in cœlis. Qui uerbū dei nō docent, neq; uiuūt ex præscripto uerbi Dei, illi inter nos dei nomē pphanant, quod ne fiat, prohibe ô cœlestis pater.

SECUNDA PETITIO.

Adueniat regnum tuum.

Regnum Dei quidem per se uenit, etiamsi nemo nostrum roget. Verum nos hic oramus, ut ad nos quoq; ueniat. Id quod tum fit, cū cœlestis noster pater nobis sanctum suum spiritum donat, qui efficit per suam gratiam, ut & credamus uerbo Dei, & sanctam ac diuinā uitam agamus hic & in futuro sæculo.

TERTIA PETITIO.

Fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra

Voluntas Dei bona in cœlis fit, etiā si nunq̄ oremus. Verū nos oramus hic, ut etiā apud nos in terris fiat. Id quod tum fit, cū Deus oīa nostra mala consilia, oēs nostros impios conatus impedit, q̄bus phibemur ne sanctificemus nomen Dei, ne uē regnū Dei ad nos ueniat, eadē est uoluntas Satanae, mundi, & carnis nostrae. Contra, Dei uoluntas bona & misericors est, ut nos confirmet ac retineat in uerbo & fide, donec moriamur.

QUARTA PETITIO.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Deus quidem, etiam si non oremus, & malis hominibus quotidianum panem largitur. Verū nos oramus hic, ut donet nobis illam cognitionem, ut certo sentiamus cum panem quo alimur, diuinitus nobis donari, & ut pro tanto beneficio Deo simus grati. Porro appellatione quotidiani panis, ueniūt omnia illa quæ ad sustentandam hanc uitam, requiruntur, qualia sunt, cibus, potus, uestes, calciamenta, certæ sedes, agri, iumenta, pecunia, opes, bona uxor, obsequentes liberi, familia, quæ suū faciat officium, liberales & placidi domini, Bonus & prudens Magistratus, salubris aër, pax publica, sanitas, boni mores, honor, boni amici, boni uicini, et similia

QVINTA PETITIO.

Et dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Rogamus hic, ne coelestis noster Pater respicere peccata nostra uelit, atq; ideo hanc nostram orationem non exaudire. Cum enim ista oramus, fatemur nos non meritos, ut uel minimum consequamur, sed ut donet nobis illa per suam misericordiam, quia enim quotidie peccamus, pœnā potius merebamur, quàm remissionem peccatorum. Ea autē ut consequamur & nos uicissim ex animo condonabimus, quicquid in nos peccauerunt alij, & pro maleficio reddemus beneficium.

SEXTA PETITIO.

Et ne

Et ne nos inducas in tentationem.

Deus quidem neminem tentat, nos tamen hic rogamus, ut seruare & defendere nos uelit, contra Satana, mundi, & carnis nostræ insidias, ne ab ijs decepti, in diffidentiam, desperationem aut alia scelera conijciamur. Quod si illis tentemur, ut superiores nos uictoriam tandem obtineamus.

SEPTIMA PETITIO.

Sed libera nos a malo.

Hic oramus in summa, ut cœlestis pater ab oïbus periculis corporis et animæ, fortunarū et famæ nos defendat & liberet, & ut in postremo uitæ articulo feliciter ex hac calamitosa uita in æternā uitam immigramus.

A M E N.

Hæc uox ideo addita est, ut certissimus simi hanc meam orationem acceptam & exauditam esse à Patre meo in cœlis. Ipse enim mandauit ut oraremus, et mandato simul promissionem addidit, fore ut nos exaudiat Amen. Amen, certo tibi omnia illa donabuntur.

DE SACRAMENTO

BAPTISMI.

Quid sit.

I. Baptismus non est simplex tantum aqua, sed est aqua septa mandato Dei & uerbo Dei coniuncta.

Verbum Dei cum Baptismo coniunctum est hoc.

Matthæi ult. Euntes, docete omnes

Gentes, Baptizātes eos in nomine

patris & filij & spiritus sancti.

II. *Vsus & finis Baptismi.* Quod in nobis operatur remissionem peccatorum, liberat nos à morte & diabolo, aeternam uitam omnibus ijs largitur, qui huic uerbo & promissioni Dei credunt.

Verbum & promissio Dei hæc est.

Marci ultimo. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit, Qui uero non crediderit, condemnabitur.

III. *Quõ põt aqua tantas res efficere.* Rñsio.

Aqua sine dubio nunq̃ ista efficiet, sed Verbũ Dei, quod in & cũ aqua est, itẽ fides quæ huic uerbo, quod aqua est additũ, firmiter credit. Si. n. abq; Verbo Dei esset, aqua maneret aqua, nec esset Baptismus, cũ uero uerbũ dei cũ aqua coniunctũ sit, est Baptismus. Hoc est, est aqua gratiæ & uitæ, & lauacrũ regenerationis in sancto spũ, quẽ admodũ Paul. de baptismo loquitur. Ti. 3.

Verba Pauli hæc sunt.

Sed secundum suã misericordiã saluos nos fecit p̃ lauacrum regenerationis ac reuouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum, ut iustificati illius gratia, hæredes simus secundum spem uitæ æternæ, Fidelis sermo est.

III. *Quid significat Baptismus.* Respondeo. Hoc significat, quod uetus Adã, qui adhuc in nobis est, quotidiana pœnitentia baptisari, hoc est, penitus in a-
quam

quam demergi & mortificari unã cum peccatis & cõ
cupiscentia debeat, Et quod debeat magis ac magis in
dies emergere & resurgere nouus homo, qui iustus &
purus ab omni peccato, cum Deo perpetuo uiuat.

Vbi hoc est scriptum.

Paulus ad Rom. vi. sic inquit.

Sepulti igitur sumus una cum Christo
per Baptismum in mortem, ut quemad/
modum excitatus est Christus ex mortu/
is per gloriam Patris, ita & nos in nouita/
te uitæ ambulemus.

DE SACRAMENTO

Altaris, Quid sit:

SACRAMENTUM Altaris, est uerum corpus & uerus
sanguis Domini nostri Iesu Christi sub pane & uino, ab
ipso Christo ideo institutum, ut Christiani id manduca-
rent & biberent.

Dominus noster Iesus Christus, in ea
nocte, qua traditus est, accepit panem
& postquam gratias egisset, fregit &
dedit discipulis suis dicens: Accipite,
comedite, Hoc est corpus meum, quod
pro uobis datur, hoc facite in mei comme-
morationem.

Similiter & postquã cœnauit, accepto
calice cū gratias egisset, dedit illis dicens,

Bibite ex hoc omnes, Hic calix nouum te-
stamentum est in meo sanguine, qui pro
uobis effunditur in remissionem peccato-
rum. Hoc facite quotiescunq; biberitis,
in mei commemorationem.

Quid prodest sic comedisse & bibisse? Respondeo.
ID indicant hæc uerba, PRO VOBIS DA-
TVR. Item, ET FVNDITVR IN REMIS-
SIONEM peccatorum. In hoc enim Sacramento, REMI-
SSIO peccatorum, uita & æterna beatitudo nobis per
illa uerba donantur. REMISSIONEM enim peccatorum ui-
ta & beatitudo necessario comitantur.

Quomodo potest illa corporalis manducatio
tantas res conficere? Respondeo.

Edere & bibere sine dubio, ista nunquam poterunt
Sed uerba hæc, PRO VOBIS DATVR. Item,
EFFVNDITVR in remissionem peccatorum. Hæc
enim uerba sunt potissima huius Sacramenti pars &
ceu caput, quibus qui credit, ille omnia ea consequitur,
quæ promittunt, nempe remissionem peccatorum.

Quomodo igitur digne hoc Sacramentum
sumitur? Respondeo.

Ego quidem illam externam disciplinam laudo,
quod qui sumpturi Sacramentum sunt, ieiunijs ante sese
parant, Verum ille demum rectissime se ad hoc Sacra-
mentum sumendum parauerit, qui his uerbis credit,
VOBIS DATVR. Item, EFFVNDITVR in remis-
sionem

tionem peccatorum. Qui his uerbis non credunt, illi indigni & omnino imparati Sacramentum sumunt, Hoc enim uerbū PRO VOBIS, postulat cor q̄ Deo credat.

DE CONFESIONE

Quid sit confessio?

Confessio duo complectitur, Alterum ut confiteamur peccata, Alterum ut absolutionem seu remissionem peccatorum ab eo cui confitemur accipiamus, tanquā ab ipso Deo, & non dubitemus, sed firma fide credamus nobis uere remissa esse nostra peccata coram Deo in caelis.

Quæ igitur peccata sunt recitanda?

Coram Deo fateri debes te omnium peccatorum esse reum, etiam eorum, quæ nescis, Talis confessio est in Oratione dominica.

Sed coram fratre cui confitemur, ea tantum peccata recitanda sunt, quæ scimus, quæq; conscientiam nostram premunt.

Quæ sunt ea peccata?

Hic diligenter considera uitæ genus in quo es, & confer cum eo decem præcepta an ijs respondeat uitæ tua, An pater, mater, filius, filia, dominus, seruus, mater familias, ancilla, præceptor an discipulus sis, Num etiam alicubi in obediens fueris, num mala fide negocium tuum egeris, Num sis indiligens, iracundus libidinosus, perulans, inuidus, & an quem læseris dicto aut facto, an furtum commiseris, an damnum alterius per negli-

gentiam non caueris, aut alia quapiam ratione alteri in
commodaueris.

Quæso te indica mihi breuem formam Confessionis.

Sic igitur alloqueris eum
cui Confiteberis.

Venerabilis domine, ego uos oro ut uelitis Confes-
sionem meam audire, & remissionem peccato-
rum meorum mihi annunciare.

Recita.

EGO miser peccator confiteor, me corā Deo omni-
um peccatorū reū esse, præcipue aut coram uobis con-
fiteor me esse discipulum, seruū, ancillā, sed minus dili-
genter meum officiū facere. Neq; enim ubiq; Heri aut
Præceptoris mei iussis parui, sed offendi sæpius cum
mea negligentia, & impulsi eum ut male mihi precare-
tur, q̄ nō diligentius rem suā, uel studia mea curauerim.

Confiteor etiā lasciuiam quā in dictis et factis sæpius
prodidi, Sæpius cum equali meo rixatus sum, sæpius cō-
tra Herū & Præceptorem meum murmurauī, sæpius
ei male precatus sum &c.

Pœnitet autem horū, & oro ueniā ac remissionem
peccatorum, & promitto me sanctius post uicturum.

Præceptor, Herus uel Mater
familias sic dicat.

Præcipue autem coram uobis confiteor quod, libe-
ros, familiam, discipulos meos non diligenter institue-
rim ad cultum & laudem Dei, quod sæpius male pre-
car: meis soleam, & malo exemplo esse impudicis ser-
monibus

monibus ac lasciuis moribus, quod sæpius uicinum meum in iuria affeci, quod sæpe male de eo locutus sum, quod carioris ei uendidi mercedem meam, aut corrupta uel nõ integra merce eũ decepi. Huc similia affer, quæ in toto uitæ genere contra decem præcepta admisisti.

Quod si quis talibus aut maioribus peccatis non sentit conscientiam suam grauari, ille non debet sollicitus esse de querendis aut fingendis pluribus peccatis, ne ex confessione crucem sibi faciat, Sed unum aut alterum peccatum sibi notum recitet, ad hunc modum. Peculiariter autem confiteor me cui tam male peccatum esse uel impudice locutum, fuisse negligentem &c.

Quod si prorsus nullum peccatum te admisisse sentis (id quod impossibile est) nullum recitabis, sed peccata remissionem peccatorum dicta generali confessione, qua coram ministro aut fratre, Deo confiteris.

Minister uel frater qui audit confitentem, dicat.

Deus misereatur tui & ignoscat tibi, ut confirmet fidem tuam, Amen.

Quærat etiam ex confitente.

Credis ne hanc meam remissionem qua tibi remitto peccata, esse non meam sed Dei remissionem.

RESPONDEAT CONFITENS.

Venerabilis domine credo.

ADDAT MINISTER.

Fiat tibi secundum fidem tuam, Et ego ex mandato Domini nostri Iesu Christi, remitto tibi peccata tua

*in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, Amen.
Abi in pace.*

Si qui autem sunt qui grauioribus peccatis anguntur, aut tristitia spiritu tentantur, eos minister uel frater pluribus sententijs sacrarum literarum consolabitur & eriget, ut apprehendant fide remissionem peccatorum, Nos generalem tantum formam consitendi pro rudibus instituere uoluimus.

FORMA BENEDICTIO
nis qua simpliciores & natu minores
uti possunt cum mane aut
uesperi sese Deo commendant.

Mane cum uoles surgere, primum omnium signabis te sancta cruce, & dices.

In nomine patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Post flexis genibus uel erectus, primum Apostolica cum Symbolum, post orationem Dominicam recitabis. His, si uoles, addes hanc precatiunculam.

EGo tibi, O pater cœli & terræ, per Iesum Christum dilectum tuum filium ago gratias, quod me hac nocte ab omni incommodo & periculo conseruatum custodieris, te preprogo, ut & hoc die

mei curam uelis agere & cauere ne in pec-
cata aut alia mala conijciar, ut tibi & uita
& facta mea placeant omnia, Ego enim
me, corpus meum & meã animam cum
omnibus alijs quæ habeo, in tuas manus
commēdo, Sanctus tuus angelus nusquã
ame discedat, ne quid Satan in me pos-
sit, Amen.

*Post strenue tuum facias officium. Potes autem in-
terim quoq; uel Psalmum, uel aliud quoddam sanctum
carmen canere, quo excitetur cor tuum.*

VESPERI CVM LECTVM

petis, primo omnium signabis te san-
cta cruce, & dices iam conscendens lectum.

In nomine Patris & Filij & Spiritus
sancti, Amen.

*Post flexis genibus uel erectus, primo Apostolicum
Symbolum, deinde orationem Dominicam orabis. His
si uoles, addes hanc precatiunculam.*

Ego tibi omnipotens & misericors pa-
ter, per Iesum Christum dilectum filium
tuum, gratias ago, quod me hoc die per
gratiam tuam defenderis, teque rogo ut
mihi omnia peccata condones, quibus te

Est autē ibi hoc die offendi, ut idem & hac nocte mei
obiter notā agere curam & me defendere uelis, Ego
dum, Bene- enim me, corpus meum, meam animam
dictionē di cum omnibus alijs quæ habeo, in manus
ci, & Deus tuas commendo, Sanctus tuus angelus
oībus ani- nusquam discedat a me, ne quid in me Sa
mantibus tan possit, Amen.

suppeditat
ut hilarem
& iucundū
agant uitā.
Porro q se
curis mace
rant, quiq;
student cu=
mulandis o
pibus, illi
hanc bñdi=
ctionē habe
re non pos=
sūt. Quanq;
enim & illi
satis habeāt,
nō tñ quieto
corde
presentib;
posūt fru.

Hanc ubi dixeris, in utramuis aurem se=
curus dormias.

FORMA ET ANTE
sumptum cibum orandi, & a
sumpto cibo agendi gratias.

Conuenit ut pueri, summa modestia ad mensam
accedant, & complicatis manibus sic orent.

Oculi omnium in te sperant Domine,
& tu das escam illorū in tempore oportu-
tuno. Aperis tu manum tuam, & implet
omne animal benedictione.

Post addant Dominicam orationem & sequentem
precatiunculam.

Domine Deus cœlestis Pater, bene-
dic nos & hæc dona, quæ de tua lar-
gitate iumus sumpturi, per Iesum Chris-
tum Dominum nostrum, amen.

FORMA

FORMA AGENDI gratias a sumpto cibo.

*Similiter & à sumpto cibo modeste ad mensam as-
sistent, & complicatis manibus sic orabunt.*

Confitemini Domino quoniam bo-
nus, quoniam in seculum misericor-
dia eius. Qui dat escam omni carni. Qui
dat iumentis escam ipsorum, & pullis cor-
uorum inuocantibus eum. Non in for-
titudine equi uoluntatem habebit, neq; in
tibijs uiri beneplacitum erit ei. Beneplaci-
tum est Domino super timentes eum, &
in eis qui sperant super misericordia eius.

*Post addent Dominicam orationem, & sequentem
precatiunculam.*

Gratias agimus tibi Domine Deus
Pater, per Dominum nostrum Ie-
sum Christum, pro uniuersis beneficijs
tuis, qui uiuis & regnas in secula, amen.

T A B V L A O E C O N O
mica, in qua proponuntur senten-
tiæ sacrarum literarum, quibus
quisq; sui officij commonetur, in quocunq;
tandem uitæ sit genere.

E piscopi, Parochi, Concionatores,
& uita & ministerium ipsorum esse de-
beat.

Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius
uxoris uirum, sobrium, modestum, benemoratium, hospi-
talem, idoneum ad docendum, Dei dispensatorem, non
uolentem, non percussorem, non turpissimam lucri cupi-
dum sed equum, non pugnacem, non auarum, sue do-
mum bene presidentem, filios habentem subditos cum
omni grauitate. Non Neophytum, Tenacem, fidelis ser-
monis qui secundum doctrinam est, ut potens sit exhor-
tari doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. 1.
Timo. 3. Titum. 1.

Quid debeant auditores Episcopis &c.

Dominus ordinauit his qui Euangelium annunciant,
de Euangelio uiuere. 1. Corinth. 9. Communicet Do-
ctori in omnibus bonis is qui docetur uerbum, Gala. 6.
Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni ha-
beantur, maxime qui laborant in uerbo & doctrina,
Dicit enim scriptura, Non alligabis os boui trituranti,
Et, Dignus est operarius mercede sua. Obedite prae-
positis uestris, & cedite eis, Ipsi enim uigilant quasi ra-
tionem pro animabus uestris reddituri, ut cum gaudio
hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit uo-
bis. Ebre. 13.

Magistratus

Magistratus hac sententia admo-
nentur sui officio.

Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit,
Non est enim potestas nisi à Deo, Quæ autem sunt, à
Deo ordinatæ sunt, itaq; qui resistit Potestati, Dei ordi-
nationi resistit, Qui autem resistunt, ipsi damnationem
acquirunt, Nam principes non sunt timori bono operi
sed malo. Vis autem non timere potestatem, bonum fac
& habebis laudem ex illa, Si autem malum feceris, ti-
me, Non enim sine causa gladium portat, Dei enim mi-
nister est, tibi in bonum, uindex in iram ei qui male agit
Romanos decimo tertio, prima Pet. 2.

Quid Subditi Magistrati-
bus suis debeant, &c:

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, Matthei uige-
simo secundo, Matthei decimo septimo, Omnis anima
potestatibus sublimioribus &c. Ideoq; necessitate sub-
diti estote, non solum propter iram, sed etiam propter
conscientiam, Ideo enim & tributa præstatis, Ministri
enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes, Reddite ergo
omnibus debita, Cui tributum, tributum, cui uectigal,
uectigal, cui honorem, honorem, Romanos decimo ter-
tio. Adhortor primum omnium, fieri obsecrationes,
orationes, interpellationes, gratiarum actiones pro om-
nibus hominibus, pro Regibus, et omnibus, qui in sub-
limitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam ui-

tam agamus cum omni pietate & grauitate, prima Ti
moth. secundo. Admone illos Principatibus & Potesta
tibus subditos esse, dicto obedire, ad omne bonum opus
paratos, nemini conuictum facere, non litigiosos esse
&c. Titum tertio. Subiecti estote omni humane cre
aturæ propter Dominum, siue Regi tanquam præcel
lenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis &c. Prima Pe
tri secundo capite.

Coniugum officium.

Viri habitent cum uxoribus secundum scientiam,
quasi cum infirmiori uasculo muliebri, impartientes ho
norem, tanquam coheredibus gratiæ uitæ, ut non impe
diantur orationes uestre. 1. Pet. 3. Et ne sitis amarulen
ti erga illas, Collossen. 3.

Mulieres uiris suis subditæ sint sicut Dño &c. Ephe
5. quemadmodum Sara obediebat Abrahæ, Dominum
eum uocans, cuius factæ estis filie benefacientes, non
perturbantes omnem perturbationem Ephesios sexto.
1. Petri. 3.

Parentum erga liberos.

Vos Parentes nolite ad iracundiam prouocare fi
lios uestros, sed educate illos in disciplina & correptio
ne Domini, Ephe. 6.

Liberorum erga Parentes.

Filij obedite parentibus uestris in Domino, Hoc
enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam
am

am, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, & sis longeuus super terram Ephe. 6.

Seruorum, Ancillarum, Mercenariorum, Operariorum officium erga dominos.

Serui obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore in simplicitate cordis uestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placere studentes, sed ut serui Christi, facientes uoluntatem Dei ex animo, cum beneuolentia seruientes Domino & non hominibus, Sciens, quod unusquisq; quodcumq; fecerit bonum, hoc reportabit à Domino, siue Seruus siue Liber, Ephe. 6. Collossen. 3.

Patrum & Matrum familias erga Seruos &c.

Et uos domini eadem facite illis, remittentes minas scientes quod & uester Dominus est in caelis, & personarum acceptio non est apud eum, Ephe, 6. Coloss. 3.

Adolescentes.

Adolescentes subditi estote senioribus. Omnes uobis subiecti sitis, & connectentes humilitatem, Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut uos exaltet in tempore uisitationis. 1. Petri. 5.

Viduæ.

Quæ uere Vidua est & desolata, speret in Deum
& instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die,
Nam quæ in delitijs uiuit, mortua est.

Tota Congregatio.

Dilige proximum tuum sicut te ipsum, Nam in hoc
uerbo omnia Præcepta sunt cõprehensa, Romanos. 13.
Et instate orationibus sedulo pro omnibus ho-
minibus, prima Timotheo secundo.

PSALMVS LXVII.

DEVUS misereatur nostri & benedicat nobis, illu-
stret faciem suam super nos semper.
Ut nota fiat in terra uia tua, in omnibus Gentibus
salus tua.

Confiteantur tibi populi Deus, Letentur & laue-
dent Gentes, quoniam iudicas populos in equitate &
Gentium, quæ in terra sunt, ductor es sempiternus.

Confiteantur tibi populi Deus confiteantur tibi po-
puli omnes, Terra dedit germen suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster & benedicat nos
Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

PSALMVS XXV.

Precatio ut Deus gubernet
ignoscat ac liberet.

Ad te Domine animam meam leuo.
Deus meus in te confido, non confundar, Ne
letentur inimici mei aduersus me.

Nam omnes qui expectant te non confundentur,
Confundentur qui te contemnunt frustra.

Vias tuas Domine notas fac mihi, & semitas tuas
doce me.

Dirige me in ueritate tua & doce me, quia tu es De
us Saluator meus te expecto tota die.

Memineris miserationum tuarum Domine, & mi
sericordiarum tuarum, quoniam perpetue sunt.

Peccata iuuentutis meae & prauaricationes meas
ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei, tu
propter bonitatem tuam Domine.

Bonus & rectus est Dominus, propterea docet pec
catores in uia.

Diriget humiles in iudicio & docet humiles uiam
suam.

Omnes semitae Domini misericordia & ueritas cu
studientibus pactum eius et testimonia eius.

Propter nomen tuum Domine propicius esto de
licto meo, quoniam multum est.

Quis est ille qui timet Dominum? docet eum uiam
quam elegerit.

Anima eius in bonis morabitur, & semen eius possi
debit terram.

Arcana Domini timentes eum cognoscent, & pda
stum eius.

Oculi mei semper ad Dominum, quia eripiet de laqueo pedes meos.

Respice me & miserere mei, quia unicus & afflictus sum ego.

Afflictiones cordis mei magnæ sunt, de angustijs meis eripies me.

Respice afflictionem meam & laborem meum, & remitte omnia peccata mea.

Respice quàm multi sunt inimici mei, qui iniquo odio oderunt me.

Custodi animam meam & libera me, non confundar quia speravi in te.

Innocentia & rectitudo seruent me, quia te expecto.

Redime Deus Israel ex omnibus afflictionibus suis.

P S A L M V S.

XXXII.

BEATI quibus remissa est transgressio, & quorum peccatum tectum est.

Beatus homo cui non imputabit Dominus peccatum, & non est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea, in genu tu meo tota die.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua, uersus est succus meus in ariditatem æstiuam.

Peccatum meum notum tibi feci, & iniusticiam meam non abscondi, dixi, confitebor transgressiones

meas Domino, Et tu remisisti iniusticiam peccati mei.

Pro hoc orabunt omnes sancti ad te in tempore oportuno, ideo exundatio aquarum multarum non appropinquabit ad eos.

Tu es refugium meum, in tribulatione custodies me triumphabo cum circumdabis me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in uia qua ambulabis, de figam in te oculos meos.

Ne sitis sicut equus et mulus in quibus non est intellectus.

Chamo et freno maxillas eorum constringes, qui non appropinquant ad te.

Multi dolores impio, et sperantem in Domino misericordia circumdabit.

Letamini in Domino, et exultate iusti, et gloria mini omnes recti corde.

PSALMVS XXXIII.

Benedicam Domino semper, laudabo eum semper. De Domino gloriabitur anima mea, ut humiles audiant et exhilarentur.

Predicam Dominum unam, celebremus nomen eius unum.

Cum quererem Dominum exaudiuit me, et ex omni periculo liberauit me.

Quicumque respiciunt ad eum ihs lucet, et uultus eorum non confunditur.

Isle pauper exclamauit, & exaudiuit eum Domi-
nus, & ex omnibus afflictionibus eripuit eum.

Angelus Domini circumuallat timentes Dominum
& eripit eos.

Gustate & uidete quàm benignus sit Dominus, bea-
tus uir est qui eo fidit.

Timete Dominum sancti eius, nihil enim deest ius-
tibus eum.

Opulenti redigentur ad inopiam & esurient, sed
querentibus Dominum non deest ullum bonum.

Adeste filij, audite me, timorē Domini docebo uos.

Si quis bene uiuere uolet & diu uiuere cupit, cu-
stodit linguam suam à malo & labia sua ne loquantur
dolum.

Declina à malo & fac bonum, quere pacem & ser-
uare eam.

Oculi Domini defixi sunt in iustos, & aures eius
arrectæ ad clamorem eorum.

Vultus Domini minatur mala facientibus, ut deleat
memoriam eorum de terra.

Cum clamauerint iusti Dominus exaudiet, ex omni-
bus afflictionibus eripiet eos.

Prope est Dominus afflictis, & contritos spiritu
liberabit.

Multæ sunt afflictiones iusti, sed ex omnibus ijs
liberabit eum Dominus.

Custodit omnia ossa eius, ut ne unum quidem ex
ijs frangatur.

Malicia

Malicia impio exitio erit, & qui iusta oderint peribunt.

Redimit Dominus animas seruatorum suorum, & omnes qui confidunt in eo salui erunt.

PSALMVS CXXVIII.

BEatus quicumque timet Dominum, qui ambulat in uis eius.

Labores manuum tuarum quia comedes, beatus eris, & bene erit tibi.

Vxor tua sicut uitis fructifera, intra latera domus tue.

Filij tui sicut plantæ oliuarum in circuitu mensæ tue.

Ecce sic benedicetur uir qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Syon, ut uideas bona Hierusalem omnibus diebus uitæ tuæ.

Et uideas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

PSALMVS CXXX.

DE profundis malis clamaui ad te Domine, Domine exaudi uocem meam, sint aures tuæ intendentes in uocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, ut timearis.

Expectaui Dominum, expectauit anima mea, & in
uerba eius spero.

Anima mea ad Dominum à uigilia matutina, usque
ad uigiliam matutinam.

Speret Israel in Domino, quia apud Dominum mi-
sericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.

PSALMVS CXXVI.

NISI Dominus edificauerit domum, frustra la-
borant qui edificant.

Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat
qui custodit eam.

Frustra est nobis ante lucem surgere, sero cubitum
ire, & edere panem doloris, quia dabit dilectis suis
per somnum.

Ecce hereditas Domini, filij, merces fructus uena-
tris.

Sicut sagittæ in manu uiri, sic sunt filij iuuenes.

Beatus uir qui implcuit pharetrâ suam talibus, non
confundentur cum loquentur cum inimicis in porta.

PSALMVS CXX.

Leuabo oculos meos ad montes, unde ueniet au-
xilium mihi.

Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.
Nob

Non dabit ad lapsum pedem tuum, neq; dormitabit qui custodit te.

Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus umbra tua supra manum dexteram tuam.

Per diem sol non feriet te, neq; luna per noctem.

Dominus custodiet te ab omni malo, custodiet animam tuam.

Dominus custodiet exitum tuum, & introitum tuum, nunc & semper.

PSALMVS CXI.

Celebrabo Dominum in toto corde, in secreto rectorum & congregatione.

Magna opera Domini, exquisita secundum uoluptatem eorum.

Laus & decus opera eius, & iusticia eius manet semper.

Memoriam fecit mirabilium suorum, clemens & misericors Dominus.

Escam dedit timentibus se, memor erit in eternum testamenti sui.

Vim operum suorum ostendit populo suo, ut daret eis hereditatem Gentium.

Opera manuum eius ueritas & iudicium, firma omnia mandata eius.

Confirmata in seculum in eternum, facta in ueritate & in rectitudine.

Redemptionem mittit populo suo, mandauit in eternum testamentum suum.

Sanctum & terribile nomen eius, initium sapientie timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus ea, Laus eius manet in eternum.

PSALMVS CXXIIII.

Nisi Dominus fuisset pro nobis, dicat nunc Israel.
Nisi Dominus fuisset pro nobis cum surgeret aduersus nos homo.


Tunc uiuos deglutissent nos, dum irasceretur furor eorum nobis.

Tunc aquae exundassent super nos, torrens transisset super animam nostram.

Tunc transissent super animam nostram aquae elate.
Benedictus Dominus, qui non dedit nos praedam dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo uentantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum & terram.



Volume 2

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or section header.

Handwritten text in the upper left quadrant, including the words "quadi" and "mecto".

Handwritten text in the middle left quadrant.

Handwritten text in the middle left quadrant.

Handwritten text in the middle left quadrant.

Handwritten text in the middle left quadrant.

Handwritten text in the middle left quadrant.

Handwritten text in the middle left quadrant.

Handwritten text in the middle left quadrant.

Handwritten text in the lower middle left quadrant.

Vertical column of handwritten text on the left side of the page.

Large block of handwritten text at the bottom left of the page.

Main body of handwritten text on the right side of the page, written in a dense, cursive script.

Handwritten text at the bottom right of the page, including a large blue initial.

2460-74

